

1798

1798

Kem / 3494  
(1 - 19)

(16)

DE  
MODIS VARIIS,  
QUIBUS  
**LABIUM LEPORINUM**  
CURATUR,

---

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

P R A E S I D E  
VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
**JO. CHRISTIANO REIL,**  
MEDIC. ET CHIRURG. DOCT.,  
PROF. THERAP. PUBL. ORD., DIRECT. INSTITUT.  
CLINIC., ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOS. SODALI,  
SOCIET. MED. CHIR. ET PHARM. BRUXELLENS.  
MEMBRO,

PRO  
GRADU DOCTORIS MEDICINAE  
ET CHIRURGIAE

DIE VII. APR. MDCCXCVIII

H. L. S.

PUBLICE DISPUTABIT

A U C T O R  
**DANIEL FRIDERICUS FRETER,**  
POMERANUS,  
*Belgaat*

---

HALAE,  
IN OFFICINA RATHENANA.



15  
MODIS VARIIS  
CARTONIS  
LAPII IMPORNIUM  
GOLDATUM

CONFUSIO MAGNETATIS MEDICAE

ANALOGIA  
SOLARIS

ANALOGIA  
MUNDI

ANALOGIA  
CHRISTIANITATIS

ANALOGIA  
MUNDI ET CVM MUNDI

OMNIBUS  
PRAECEPTORIBUS

MEIS COLENDISSLIMIS,  
QUORUM STUDIIS BENEVOLIS NOTITIAS,  
UTCUNQUE EXIGUAS, DEBEO,  
AC PROGRESSIBUS SCIENTIFICIS ULTRA  
FACIENDIS PAR REDDITUS SUM,

H A S P A G E L L A S

IN TESSERAM, PARVI LICET MOMENTI,  
ILLIMITATAE REVERENTIAE ET GRATITUDINIS

D E D I C O

DANIEL FRIDERICUS FRETER.

OMINIS  
DILECTIO TRIBUS  
GODI COLOMBO  
GRATIA DILECTIONIS  
GODI DILECTIO  
GODI DILECTIONIS  
GODI DILECTIO

EXCELSA RAY

EXCELSA RAY

## P R A E F A T I O.

Jam dudum objecta varia artis medicae mente mihi pervolventi, quae more, a majoribus nostris introducto nobisque servando, Dissertationi inaugurali inservirent, nil magis in votis erat, quam objecto tali insistere enucleando, cui practica suffragaretur experientia. Sed observationes, quae ansam mihi ad dicendum praebere potuissent, partim materias spectabant, de quibus, quantum satis, nuperime scriptum, partim campum aperiebant nimis diffusum, quam ut decenter ei excelendo, in tempore illo parvo, mihi concessos, sat diu immorari possem. Quare consilium Cel. praceptoris R E I L I I sequendum censui, partem quandam ex Acologia discutiendi, descriptionem scilicet Instrumentorum, in Labio leporino adhibendorum, methodumque ea applicandi.

DISTINCTIO

INSTRUMENTORUM

- a) Instrumenta, quibus varia obstacula removentur;
- b) — — — pro labiis sustentandis.
- c) — — — ad oras Labii leporini excoriandas;
- d) — — — ad reunionem,

Juxta hanc distinctionem, in Dissertationis de-  
cursu, singulis Instrumentis describendis  
immorabor.

S E C T I O   P R I M A.

C A P .   I.

D E S C R I P T I O   I N S T R U M E N T O R U M .

§.   I.

a) Instrumenta, quibus varia obstacula removentur.

P alatum osseum saepe fissum reperitur, in cuius fissura assulae ossae, aut tumores ossium in maxilla, aut in adultis dens valde prominens occurunt, quae felici operationis successui maxime obstabunt, nisi antea fuerint amota; quare ad assulam osseam et tumorem tollenda, forcipe firmissima acutissimaque utimur a CHESELDENIO inventa, quam delineaverunt DRANIUS <sup>1)</sup> et BELLIUS <sup>2)</sup>.

1) LE DRAN, Tab. V. Fig. E.

2) B. BELL Lehrbegriff der Wundarzneykunst,  
aus dem Engl. 3. Th. Leipzig 1787. Tab. XI.  
Fig. 135.

Utrumque ejusdem brachium perforatum, laminae secantes ita curvatae sunt, ut brevem canalem forment. Brachia pariter curvata sunt ita, ut fines extremi utriusque manubrii sibi appropinquent; hisce brachiis ferrum vi sua renitens intersertum est, quo forceps sponte aperitur, cuius elasticitatem oportet esse auctam, ut in comprimento resistentiam quandam exferat.

§. 2.

Quodsi dens in adultis *versus* fissuram Labii leporini valde prominuerit, Instrumentis dentium vulgaribus amovendus est, quorum descriptio ad scopum meum non pertinet; quare ad capitula de Operationibus dentium in Chirurgiis notissimis provoco, in quibus ea accurate delineata reperire licet <sup>3)</sup>, et **BELLIUM** in libr. cit. <sup>4)</sup>. Porro conf. Chirurgia

3) A. G. RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneykunst*, 4. Band, Göttingen 1797. Tab. III. Fig. I. II.

4) Tab. XII. Fig. 152. 153. 157. 158. et Tab. XIII. Fig. 160. 162. 165. 167 — 169.

HEISTERI<sup>5)</sup>. Quaedam alia instrumenta,  
valde composita, descripta et delineata sunt in  
Bibliotheca RICHTERI<sup>6)</sup>. Plura de odonta-  
gris in scriptis SCULTELI, GARENGEOTII ET  
FABRICII HILDANI legenda sunt. Prae ceteris  
ARNEMANNUS magnam earum copiam desi-  
gnat<sup>7)</sup>.

§. 3.

b) Instrumenta pro labiis sustentandis.

Cuvis, qui Labii leporini operationem  
fecerit, difficultates patent, labia rite digitis  
sustentandi, ut scissura directione aequabili  
peragatur et margines curvati vitentur. Huic  
difficultati viri artis peritissimi temporibus jam  
antiquioribus per apparatus ad id aptum me-  
delam adtulerunt. BELLUS et RICHTERUS

5) Dritte Auflage. Nürnberg 1731. Tab. XIV.  
Fig. 21. 22. 23.

6) Im 6ten Bande, 2tes Stück. Göttingen 1782.  
Tab. II. p. 343. et Tab. III. p. 347.

7) JUSTUS ARNEMANN Uebersicht der berühm-  
testen und gebräuchlichsten chirurgischen In-  
strumente älterer und neuerer Zeiten. Göttin-  
gen 1796. p. 78.

modum adhibendi suum percommodum et aegro innoxium reperiunt. Haec ferramenta a quibusdam perperam accusantur partes contundere, quod autem non tam facile eveniet, quam unguibus pollicis et indicis contigerit; praeterea illud praefstant commodum, quod rami ejusdem forficem et scalpellum in secando ita ducant, ut scissura deviare nequeat. Antiquiores praeterea his forcipibus ad sanguinem inhibendum usi sunt.

#### §. 4.

Forcipem antiquiorem duplicem adesse oportet, quarum quaelibet ita constituta sit, ut in utroque labii margine incidendo utraque applicari possit. Quaelibet duobus brachiis ferreis componitur, quae in summitate manubrii in unum coeunt, in parte inferiore disjunguntur, et ab hac extremitate circiter sesquidigitum in formam anguli obtusi curvata sunt; in medio annulus forcipem cingit, quo sursum moto et deorsum, ea plus minusve constringi possit. In Chirurgia HEISTERI citata reperi-

tur delineata<sup>8)</sup>. Praeterea vide<sup>9)</sup> et<sup>10)</sup>. Haec forceps antiquior, quoad figuram, varias subiit mutationes, unde forceps recentior tandem prodiit.

Forceps recentior in quolibet manubrii brachio annulum habet, ut pollice et indice more forcis apprehendatur; media commissura unitur et in distantia sesquidigiti circiter a commissura et apice in angulum rectum curvatur. Superficies laminarum forcipis politissimas esse oportet planissimasque, quae et ita sint dispositae, ut labia in omnibus punctis aequabiliter comprimant. Figura forcipis hujus exhibetur in volumine citato Chirurgiae BELLII<sup>11</sup>). Praeterea autem et Chirurgia RICHTERI eam offert depictam<sup>12)</sup>.

8) Tab. XIV. Fig. 12. 13. p. 588.

9) GARENGEOT, T. I. p. 396

10) PETIT, T. I. p. 28. Fig. 2. 3.

11) Tab. XI. Fig. 132. p. 495. 502.

12) 2ter Band, 1789. Tab. V. Fig. III. p. 296.

Alia methodo labia sustentandi usus est KOEHRINGIUS, qua acu consutoria curva per utrumque angulum fissurae distentum filum ferium longum trajecit, e quo ansam sibi formavit, cuius ope utrumque angulum aequabili modo detraxit, paulum tamen a dentibus deorsum, ut tantum spatii intermedii obtineret, quantum laminae forcis post angulos praeditos commode adigendae sufficeret, tum margines prope fila serica sinistrorum dextrorumque forcise incisoria recta acutissimaque ad latus utrumque una incisione perfecuit ita, ut immediate super angulum fissurae incisiones ambae tam arce concurrerent, ut tota portio marginis excisa instar trianguli ansae adhaeresceret. De qua methodo praecepit OLENROTHIUS Chirurgus generalis exercituum Borussicorum<sup>13)</sup>, qui eam imitatus est, formationem hujus ansae dolores quidem parere, illud vero comodum inde prodire, quod labia firmius, quam digitis et forcipibus, teneri possint, quia di-

13) J. ARNEMAN'S Magazin für die Wundarznelwissenschaft, 1. Band, 3. Stück. Göttingen  
1797. p. 337.

giti et forcipes labant, hujus fili ope autem  
margines melius dirigi intensiusque adigi  
possunt, ita, ut duabus incisionibus, forfice  
peragendis, operatio tuta redi et in linea  
recta absolvit possit.

## §. 7.

c) Instrumenta ad oras Labii leporini excoriandas.

Cum sine excoriatione orarum Labium  
leporinum sanari nequeat, quod in Capitulo  
de operatione et sanatione ejusdem clarius  
patebit, varii artifices variis usi sunt instru-  
mentis.

## §. 8.

Usus forficum ad excoriationem antiquis-  
simus est, sed peculiaris earum figura non fuit  
stabilis, quae huic operationi esset aptissima,  
recentioribus autem temporibus praecipuae  
figuram servant rectam et curvam, quarum  
exemplaria chirurgi praecipui BELLIUS et  
RICHTERUS nobis subministrarunt, qui expe-  
rimentis plurimis evicerunt, usum earum mi-  
nime reprobandum esse, quod recentiores  
chirurgi gallici LOUISIUS et PERCIUS scriptis  
suis adseruerunt. Utraque forfex RICHTERI

et **BELLII** forma variat, quare utramque in specie describam.

§. 9.

Forfex **BELLII** manubriis longis instructa est, cum in incisione quandoque vim quandam adhiberi necessum sit, laminis contra brevioribus; extremitates manubriorum in formam annularem ita curvatae sunt, ut annulus inferioris laminae forficis extrorsum, annulus vero laminae superioris introrsum directus sit; prope commissuram forfex in formam anguli obtusi curvata est, lamina inferior angusta est, et in extremitatem definit acutam, lamina superior lata, cuius extremitas pariter acuta ita, ut pars posterior aciem versus pavlatim inclinetur. Forficem in commissura firmam et nitide politam esse oportet. In Chirurgia **BELLII** citata exhibetur delineata<sup>14</sup>).

§. 10.

Forfex **RICHTERI**, qua ipse ad abscessus aperiendos utitur, et ad incidendum Labium leporinum ab ipso commendatur, prope com-

14) Tab. XI. Fig. 134. p. 496. 502.

missuram magis curvata est ea, quae jam iam assignata; lamina inferior figuram specilli imitatur in extremitate obtusa, ut labiis commodius subdatur, quin partes laedat adfines; lamina superior paulo latior inferiore in extremitate simili modo obtusa; manubria manubriis forficis **BELLIANAE** similia sunt. Expedit tamen, ad Labium leporinum curandum, longiora esse ea, quam in Tabula Chirurgiae **RICHTERI** delineata<sup>15)</sup>, quod et **RICHTERUS** ipse fatetur<sup>16)</sup>. Simillima est haec forfex Sharpiana, quam auctor **Ciseaux à bouton** dicit, qua ad fistulam ani curandam usus est<sup>17)</sup>. **HENKELIUS** autem eam magis etiam illustravit<sup>18)</sup>.

### §. II.

Forfex Anglicana recta, a quibusdam adhibetur; quare breviter eam allego. La-

15) Im ersten Bande, Göttingen 1787. Tab. I.

Fig. I. p. 56. §. 188.

16) Im zweiten Bande p. 294. §. 375.

17) Treatise on the Operat. of Surgery, Tab. II.

18) Abhandlung der chirurgischen Operationen,  
3. St. Berlin 1772. Tab. IV. Fig. V.

mina e<sup>j</sup>us brevissimae, manubrium habentes per longum <sup>19</sup>). Ratione formae, ejus difficilior mihi videtur applicatu, quam forcipes praedictae.

§. 12.

Scalpellum vulgare, Instrumentis antiquissimis ad censendum, unde in chirurgia adeo notum est, ut descriptione nulla egeat, tamen notatum dignum mihi videtur. Forma id quidem solet variare; scilicet rectum esse vel curvum, acutum etc. et in apice globulo instructum auctore POTTIO. Delineata sunt e<sup>j</sup>usmodi scalpella in Chirurgia HEISTERI cit. <sup>20</sup>), et Op. BRAMBILLAE <sup>21</sup>); dein vide <sup>22</sup>) Chirurgiam BELLII, PERRET <sup>23</sup>), denique loc. infra laud. <sup>24</sup>).

Scal-

<sup>19</sup>) Savigny Catalogue of Instr.

<sup>20</sup>) Tab. I. Fig. G. H.

<sup>21</sup>) Instrumentarium Chirurgicum Viennense  
Tab. IV. VI. XXIX.

<sup>22</sup>) B. II. Taf. IV.

<sup>23</sup>) l'art du Coutelier Tab. II. p. 84.

<sup>24</sup>) Traite des maladies Chirurg. T. II. Fig. III.  
p. 87. et Fig. IV. p. 2.

Scalpellum vero, quod hic quidem consideratur, primi generis et apice acutissimo instructum esse oportet, ut negotio faciliori incisio peragatur. Temporibus recentioribus a quibusdam Chirurgis, spreto forficum usu, specialiter commendatum est <sup>25)</sup> et <sup>26)</sup>, quia forfices, illis adserentibus, contundunt, inflammationem et suppurationem augent, impediuntque laesa, quo minus coire in unum vulnus possint, maioresque adferunt dolores, quibus incommodis usum scalPELLI carere dicunt, nec tot affligere doloribus, quia vulnus mere simplex est, raro in suppurationem abit, et tempore breviori sanescit.

§. 12.

BELLUS, ut veritatem hujus adserti confirmaret, experimentum instituit, quo labium aliud scalpello, aliud forfice incidit; aeger ex incisione forfice facta pauciores sensit dolo-

25) LOUIS, Mémoires de l'Academie de Chirurgie de Paris, Tom. IV.

26) PERCY, Mémoires sur les Ciseaux à incision, couronné par l'Academie Royale de Chirurgie en 1785. à Paris.

res, cum sectio tempore breviori fuerit abso-  
luta, vulnus forfice incisum, dum curaretur,  
non magis inflamatum tumefactumque erat,  
quam illud scalpello incisum; quae observa-  
tio legitur in *BELLIC* <sup>27)</sup>.

### §. 13.

Quamvis inde effici nequeat, forficem non  
esse praestantiorem scalpello, nequaquam tamen  
adeo noxia est, ac vulgo a quibusdam denun-  
tiatur.

Ad incisorium applicandum frustulo char-  
tae densatae opus est, in quo labium distenda-  
tur; cuius crassities unam lineam, longitudo  
sesquipollim, et latitudo duodecim aut  
quindecim lineas adaequet, et in margine su-  
periore in formam semilunae excisum sit.  
Nonnulli loco chartae densatae lamina minuta  
plumbi aut stanni utuntur. Attamen forceps,  
sicut in §. 15. dicetur, commodius adhibetur.

### §. 14.

Quamquam *PERCIUS* usum forficum plane  
reprobet, fatetur tamen usum scalpelli in infan-

<sup>27)</sup> libr. cit. 3ter Th. p. 496.

tibus recens natis haud obtinere, sicut nec in Labio leporino duplicito, in quo saepe plane nequeunt margines partis intermediae quandoque minutissimae chartae densatae adfigi, ut incisorio excoorientur. Pari modo, si fissura Labii leporini in nares usque fuerit protensa, fieri non potest, ut charta densata in altum eo usque protendatur, nisi labio undequaque a gingiva separato. Et excisio Cancri incisorio facta difficilius sanari dicitur, quam forfice, ACRELLIO<sup>28)</sup> pluribusque Chirurgis contrarium sentientibus. Interim cuicunque assuetus fuerit aliquis ferramento, constare videtur, marginibus Labii leporini crassis scalpellum magis convenire, in casu autem opposito forficem.

### §. 15.

Aliud instrumentum incisorium est forceps ab AITKENTO inventa; qua tam in Labio leporino curando, quam Cancer labiorum evellendo uti licet, cuius utraque lamina in

B 2

<sup>28)</sup> Chirurgische Geschichte im Königl. Lazarethe zu Stockholm angemerkt. Lübeck 1772.

angulum rectum curvatur ita, ut longitudo a commissura usque ad angulum tertiam partem et ab angulo usque ad finem duas tertias adaequet. Lamina hujus forcipis altera est polita et plana, altera acuta est instructa; manubria in annulos terminantur.

In hoc instrumento adhibendo utraque lamina manu altera tanta vi comprimitur, quanta partibus persecandis sufficerit, manuque altera manubria sustentantur. RICHTERUS eam in usu Incisorii ad labia sustentanda commendat, cum non solum cultro ducendo, sed et lamina ejus inferior pro superficie inserviat, qua margo labii nitatur et ope Incisorii abscondi possit. Delineata est in Chirurgia <sup>29)</sup> et in Chirurgia BELLII <sup>30)</sup>.

### §. 16.

#### C a u f t i c a .

Loco instrumentorum enumeratorum, quibus excoriatio labiorum efficiatur, chirurgi quidam caufica commendarunt, quae tantos non parere dolores dicuntur. Quibus ad-

29) 2ter Band, Tab. V. Fig. IV. p. 299. §. 380.

30) Tom, cit. Tab. XI. Fig. 133. p. 502.

censentur: Lapis infernalis lunaris, Lapis infernal. alcalisatus, oleum Vitrioli, spiritus Nitri fumans, Butyrum Antimonii, quae penicillo illinuntur.

Descriptio specialis partium, quae caustica ea constituant, a scopo meo aliena. Quare ad praeclarissima enchiridia chemica HERMESTAEDTII aliorumque clarissimorum virorum provoco.

### §. 17.

Quibusdam placuit causticis iis substituere Emplastrum Vesicatorium, quo margines Labii leporini cooperiantur. Facile vero patet, hisce margines fissurae quidem exulcerari, non autem, si plani non fuerint, aequabiles reddi ideoque etiam oras sanescere facile non posse. Id, quod in curatione maxime attendendum. Praeterea et curationis finis est, prospicere, ne deformitas quaedam in cicatrice remaneat; quod et incisione commode effici potest, quare haec praferenda. Ceteroquin etiam notatum dignissimum est, causticis infantes periclitari, cum partes vicinae, labium inferius, gingiva et lingua facilime arrodi, irritari et inflammati possint.

## §. 18.

d) Instrumenta ad unitatem faciendam.

Instrumenta, ad hunc scopum attingendum adhibita, genere variant, sicut e descriptione sequenti patebit.

## §. 19.

Acus pro Labio leporino quoad figuram multas mutationes subierunt: aeque varia sunt metalla, e quibus elaborantur. Chirurgi peritissimi aureis semper aut argenteis usi sunt, ferreis rubiginem facile contrahentibus, unde, sicut alio loco fusius exponam, noxiae evaserint. Chirurgorum quidam usum acuum prorsus reprobarunt, quarum loco solas fascias unientes et emplastra adhaesiva commendarunt; hac de re et alibi plura.

## §. 20.

Acus PARAEI antiquissimae sunt; modo trigonas modo tetragonas adhibuit, et in extremitate foramine instructas <sup>31)</sup>). Sed PARAO pro more temporum, arte minus exculta, via facile danda, difficultatem acus polygonas trajiciendi ipsi non fuisse satis perspectam.

31) Opp. lat. 1582. p. 303. 304.

## §. 21.

Acus ab HEISTERO adhibitas delineari curavit ipse in chirurgia <sup>32)</sup>. Argenteae sunt apicibus instructae chalybeis: duae numero, altera, quam per labia trajectam forcipe avelli oportet, ut partem avulsam pro acu secunda adhibere liceat, altera denique brevior delineata ibi adhibenda, ubi tres acus fuerint necessariae. Avulsionem censet necessariam, apicibus aegrum non facile vulneraturis. Avulsionem ipsam periculis abundare non negat <sup>33)</sup>). Praeter argenteas, quibus usus est, acus quoque commendavit ex auro, aurichalco et chalybe confectas.

## §. 22.

Acus SHARPII et CHESELDENII pariter argenteae sunt; apice trigono chalybeo instructae <sup>34)</sup> et <sup>35)</sup>). Quare nec praecellunt iis, ame suo loco indicandis.

32) Tab. XIV. Fig. IO. II.

33) Lib. cit. p. 574. Nr. 3.

34) Treatise p. 199.

35) le DRAN, p. 450.

## §. 23.

**ACUS PETITII.** Prius usus est iis, quae nodis instructae erant, ut commodius per labia trajiceret eas<sup>36)</sup>: deinde invenit aliam, earum similem, quibus carnes lardo pertexuntur<sup>37)</sup>. Hanc ad medianam usque partem trajicit, et extremitati fissae filum argenteum obtusum rotundum et flexibile immittit. Acu trajecta filum argenteum in vulnere relinquit, huic filum circumvolvit sericum vel linteum, dein filum argenteum forcipe avellit, quae avulsio, ut patet, magnum adfert incommodum, praeterea acus excedit crassitie vulnusque plus justo dilatat: filum quoque argenteum flexibile labiis dissipandis facile praebere potest ansam.

## §. 24.

**HENKELIUS** usus est acu PETITII, quam vero mole non adaequat; fila quoque argentea rigida adhibuit flexibilium loco, praeterea tam brevia, ut avelli ea opus esset. Fila argentea nodis autem instruxerat, commodius

36) PETIT T. I. pl. I. Fig. 9, 10, II,

37) L. cit. T. I. pl. I. Fig. 8.

omittendis. Placuit haec methodus HENKE-LIO, qui ceteroquin pracepta HEISTERI plane fecutus est, ut avelleret acus longas forcipe, easque ex auro, argento et aurichalco conficeret imperaret. Chalybeas quidem non adhibuit, defendit tamen in libro indicato <sup>38)</sup>. Chalybs, dummodo satis induratus fuerit, e rubigine tam brevi temporis intervallo parum detrimenti sibi contrahit. Acieque lata instru-ctas censet praferendas.

### §. 25.

ACUS DESAULTII, quae mero constant auro, apicibus instructae sunt acutis <sup>39)</sup>. Verum, quod et facile perspiciendum, satis acui non possunt; cujusmodi sunt, nodos in iis si ex-cepferis, et eas, quas RELLUS <sup>40)</sup> ad futuram circumvolutam, et ad Labium leporinum commendat; incommodum nodorum patet, apicibusque chalybeis destitutae difficulter pe-netrant.

38) 5tes St. 1773. p. 149. §. 22.

39) Chirurgische Wahrnehmungen, 1. Theil,  
Taf. 2.

40) Wundarzneykunst 1. Band, Tab. I. Fig.  
9. 10.

Quam quidem difficultatem ita vitare studuit auctor <sup>41</sup>), ut acus aureas vel argenteas apicibus chalybeis praemuniret, retentis adhuc nodis, quibus manu commode apprehenderentur. Verum nec hoc brevitas earum permittit, et in sustentaculo figi nodis prohibentur. Quae difficultas ipsi tandem fuit perspecta; quare in volumine tertio chirurgiae suae aureas nodis desitutas cum apicibus planis chalybeis intorquendo immisssis commendabat, cum fructu adhibendas <sup>42</sup>).

### §. 26.

Multi chirurgi acubus usi sunt aureis vel argenteis cum apicibus chalybeis ferruminatis, ne immissae avellantur eae; quod vero ratione dupli detrimenntum adfert, tum ratione vulneris, quod aeger facile sibi inflixerit, tum ratione rubiginis apicum difficulter praecavendae, quare rubigine redditae ineptae vulneri inhaerebunt, unde vulnus irritatur, ipsaque vis ad extrahendum necessaria vulneri divellendo facile praebet occasionem.

<sup>41</sup>) System of Surgery, illustrated with copper-  
plattes Volume I. Edinburgh 1783.

<sup>42</sup>) Tab. XI. Fig. 139. 140. 141.

## §. 27.

RICHTERUS hac ratione permotus usum acuum chalybearum plane reprobat, suadetque eas auro aut argento obduci: non utitur autem iis hoc modo descriptis ratione apicum, vulnus facile infligentium, sed utitur posterioribus apud BELLUM §. 25. descriptis, in quibus per labia trajectis apices retorqueri possint, quarum descriptionem vide in RICHTERI chirurgia 43).

## §. 28.

Has quidem et acus recentiores EKHOLTI id intercedit discrimen, quod cavae sint, et apices non tantum intorquendo iis immittantur, sed ne acus sustentaculo egeant, ac ut manibus per labia commode trajiciantur, nodis intorquendo immissis instructae sint, et iis trajectis nodi et apices retorqueri possint, quare usus earum commodus est 44).

## §. 29.

ACUS ARNEMANNI ab acubus EKHOLTI differunt, cavitate in extremitatibus ambabus

43) 2ter Th. p. 302. §. 382.

44) BELL Syft. 5. Th. Taf. X. Fig. 5. 6.

et eo, quod apices et nodi tantum immittantur;  
quare usus earum adhuc commodior est<sup>45).</sup>

### §. 30.

Quidam Chirurgi acus suadent curvatas ex auro vel argento purissimo, quia putant, acubus rectis labia curvata in situm praeter-naturalem torqueri, eadem irritari, inflam-mari, dolores effici, unionemque celerem impediri. Quod vero non sequitur. Nam-que pars acuum labio insita tam brevis est, ut mutationi in labio efficiendae non sufficiat, acus vero curvata evadere potest noxia, quia acus hujuscemodi, cui filum fuerit circum-volutum, ita vertitur, ut curvatura ejus ad exteriora vergat. Cum vero curvatura labii interiora respiciat, valde incommoda est.

### §. 31.

Denique WEDELIUS, HEISTERUS et HEN-KELIUS acus vulgares a circumforaneis felici successu ita fuisse adhibitas, viderunt, cum filum acui trajecerint, nodum fecerint, et ita paucis diebus Labium leporinum curaverint. Quam

45) Bibl. für Chirurg. und Med. B. 2.

rudem quidem rationem nunquam aliquis imitatus est, qui rationes auxilii, quod a manu postulatur, sequitur.

§. 32.

Cum acus nodis destitutae, praecipue in senibus, cutem duriorem habentibus, digitis trajici commode nequeant, instrumenta propria hunc in finem sunt inventa, quae sustentacula acum dicuntur, in quibus acus figantur, ut sic fixae commodius dirigi possint, quam digitis.

Variae occurunt structurae, a PARAE<sup>46)</sup> PETITO<sup>47)</sup> DOUGLASSIO<sup>48)</sup> LEVRETO<sup>49)</sup> delineatae. Pertinet huc sustentaculum acus ordinarium<sup>50)</sup>. Denique forceps acus Chelsenianae<sup>51)</sup>. Descriptioni horum instrumentorum curatiori supersedeo, cum in tra-

46) Opp. p. 291.

47) T. I. pl. I. Fig. 8.

48) Essays of Edinburgh, T. V. pl. 584.

49) PERRÉT pl. 83. Fig. 63.

50) BRAMBILLA Tab. LVI. Fig. 16.

51) BELL syst. I, Th. Taf. I. Fig. 8.

tatu speciali de futuris de iis agi oporteat; quare mihi unicum a GARENGEOTO inventum descripsisse sufficiat: cum Labii leporini curatio unam tantummodo exigat.

§. 33.

Suffentaculum acus GARENGEOTII<sup>52)</sup> et<sup>53)</sup>. Hoc ferramentum est, cuius extremitas altera manubrio instructa est ligneo, altera fulcum constituit tres pollices longum, tres habentem fissuras, quarum quaevis duos pollices longitudine adaequat. Partes singulae ita dispositae sunt, ut in extremitate diameter dilatatus prodeat, et canalis ope annuli circumducti, sursum atque deorsum movendi, constringi possit aut dilatari, et tali modo acus facili negotio figatur aut rursus excipiatur.

§. 34.

Specillum fulcatum, quod acus excipit. In acubus trajiciendis, sicut in aliis futuris, ita et in Labio leporino, fulcatum ejusmodi specillum HEISTERUS depingi cura-

52) GARENGEOT T. I. p. 201.

53) HEISTER Libr. cit. Tab. IV. Fig. 5.

vit <sup>54)</sup>). Est canalis formam cylindri referens, sex pollices longus, et medium pollicem latus. In extremitate alterutra operculo clausus, quod aperiri potest et occludi, si quid inferendum aut exerendum fuerit. Ejus applicatione nostris diebus carere possumus.

### §. 35.

Fila futurae cruentae adhibenda. Suturae circumvolutae et nodosae adhibentur, jam sericis, jam linteis utendi usus obtinet, et ne humores ab iis resorbeantur, cera sint obducta. Firma esse confert, non tamen nimis crassa, ne in futura circumvoluta circumvolutione repetita premant, neque in futura nodosa oras labororum nimis amplient, dum trajiuntur.

### §. 36.

Emplastra adhaesiva. Ad haec aliqui, praeprimis CHOPART et DESAULT <sup>55)</sup> emplastrum adhaesivum anglicanum WADSTO-

54) Libr. cit. Tab. XXV. Fig. 3.

55) Traité des Maladies chirurgicales, à Paris  
1779.

CKII pannis sericis illitum commendatur a Wirtembergensibus <sup>56</sup>). Verum hoc emplastrum solummodo adhibendum est, ubi humores non accesserint, secus enim Ichthyocolla ceu pars constitutiva ejusdem praecipua resolvitur. Alii ceu praecipue adhaesivum emplastrum oxycrocium in omnibus pharmacopoliis notum commendant <sup>57</sup>). Evidem praecligendum censeo emplastrum adhaesivum Edinburgensem multo simplicius et aequre firmiter adhaerens <sup>58</sup>). Ex toto vero circumspicere opus est, ut tenui emplastri tegmine panus obtegatur, quia in Cute calefactum extendetur et remittit.

### §. 37.

Emplastra adhaesiva a quibusdam praecipue commendantur, quando Labium leporinum non defectu substantiae, sed sola partium disten-

56) Pharmacopoea Wirtembergica, pars II. 1786.  
P. 53.

57) I. F. BÖTTCHERS Auswahl des chirurgischen  
Verbandes 1795. §. 25.

58) Pharmacop. Wirtemberg. p. 52.

distensione fuerit ortum, quod prae primis  
**LOUISIUS** cum nonnullis aliis adserit; prae-  
terea **FRANCO** et **SYLVIUS** cum eorum aequa-  
libus Labium leporinum ope emplastrri adhae-  
sivi cum fascia se curasse perhibent. Verum  
motus labiorum minimus, ut orae vulneris  
distorqueantur sufficit. Quare curatio eorum  
successu tam felici probabilius nunquam coro-  
nata fuit, quam eorum, qui futuram adhibue-  
rint cruentam.

Porro **LOUISIUS** et **QUESNAY** emplastris  
adhaesivis ad semicirculos suos usi sunt et  
**KOEHRINGIUS** ad fasciam suam, in aliis para-  
graphis describendam. Alii et emplastra adhae-  
siva adhibuerunt ad vulnus in futura cruenta  
magis constringendum; quem in finem empla-  
stra adhaesiva in quatuor angulis terminata  
adhibentur, quorum duo cuvis genae adfixi  
sunt. Juxta vulneris oras inciditur cutis pro  
acuum apicibus; aut duae taeniae emplastrri  
adhaesivi ab aure ad vulnus usque tendentes  
adhibentur, quibus fila adfiguntur. Posterius  
quidem saepe utile est, verum omnes appara-  
tus caeteri inutiles sunt et incommodi: quin

C

quandoque adhiberi prorsus nequeunt, et curatione in labio inferiore instituta, saliva copiose affluente solvuntur. In viris adultis barba accrescens ea detrudit. Usus emplastrom adhaesivorum praferendus est is, quo aliquamdiu ante curationem infantibus applicantur, ut incommoditati adsuescant; porro, quando externa fissura in labiis aut similibus partibus, utpote lobis aurium, alis narium, palpebris, et praeputio penis fuerit orta, etiam cum fructu adhibetur ad aerem a vulnere arcendum, aut ne aegrotus illidat vulnus, neque in infantibus fortes naribus effluentes adhaerescant.

## §. 38.

**Fasciae unientes.** Quae a viris egregiis recentiorum aequae ae antiquorum temporum commendatae, ab aliis nihili habentur. In qua quidem contentione cuinam potissimum fides tribuenda sit, ambigendum esse videtur. Hic e rei ipsius indole definiendum, quae sententia sit praferenda. Quidam illorum, et praecipue veteres, futuram cruentam adhiberi crudele putabant, quare sola emplastra fascias.

que adhibuerunt. Videntur autem maxime eo nomine iis substituisse, ut incommodis ex parte medelam adferrent, Labio leporino conjunctis, quin deformitatis rationem haberent e satione imperfecta remanentis, quem finem methodo sua facile attigerint.

Rationes similes recentiores sequuti sunt, dum adsererent viam aegro minus molestam esse praeeligendam; futuram autem cruentam esse viam oppositam, acus in vulnere more corporum heterogeneorum agere, irritare, et votis chirurgi, unitatem brevi factam videndi, non respondere. Praeterea casus infelicis eventus e futura cruenta relati sunt. Probare conati sunt alii, Labium leporinum e sola partium separatione praeternaturali prodire, neque e substantiae defectu, meram itaque vim partes distorquentem esse, cui vis aqualis sit opponenda, inde omnia felici successu emplastris et fasciis unientibus obtineri posse, quo adserto permoti plures excogitarunt fascias, quarum nonnullas describam.

## §. 39.

Semicirculus auctore LOUISIO 59). Cum is vi labia distorquenti aliam opponere vim vellet, hunc in finem semicirculum suum excogitavit, quem huic effectui sufficientem putavit. Hic semicirculus chalybe constat elasticō, in cujus extremitatibus culcitra affixa est, quae circulo circa cervicem opposito, genas comprimit. In medio eo circulo fascia figitur, quae ab extremitate circuli ad marginem vulneris usque emplastro adhaesivo linitur. E regione vulneris extremitas alia fissā est, ut alia trajici et residuum fasciae fasciarum obviarum reunientium instar applicari possit. Quae fascia non alia nisi obvia reuniens est. Semicirculus ejus insuper effectum negavit speratum; nam applicatus noctu nonnunquam dimovebatur, quare dein fasciam suam adhibuit.

## §. 40.

Fascia, qua usus est LOUISIUS vid. Libr. cit. quamque censuit praferendam, utpote

59) Mémoires de l'Academie Royale de Chirurg.  
à Paris 1768. Tom. IV.

votis suis semper respondentem, pollicem unum latitudine, ulnasque tres longitudine adaequat. Primo eam fronti imponens, caput utrumque post aures cervicem versus dicit, ubi eam in formam crucis sternit, tam antrorum super genas, quarum cuique ellychnium imponit, labia versus ea trahit, et ibi caput fasciae alterum per fissuram alterius trajicit, quo facto caput utrumque sub auribus versus cervicem dicit, residuum fasciae in formam ductuum circularium capiti circumponit. Quo facto prospicit, ne fascia distorqueatur, vinctaram a fronte versus cervicem capiti superimponit, et aliam sic sternit, ut priori in formam crucis imponatur, hoc est: ab aure ad aurem super caput. Extremitates fasciarum ductibus circularibus fasciae reunientis acubus affigit.

### §, 41.

QUESNAY de semicirculo e balaenae maxilla <sup>60</sup>). Adhibito maxillae testaceae frustulo extremitates ejus ambae emplastro adhaesivo

<sup>60</sup>) Memoires de l'Academie de Chirurg. de Paris, Tom. I.

affigebantur genis imposito, et mediante fascia circulo affixa, cuius extremitas altera instar fasciae reunientis in vulnere per fissuram alterius trajiciebatur, trahiebantur antrorsum. Hujus semicirculi fructus probabiliter non diversus erit ab eo, quem semicirculus LOUISII praestiterit.

### §. 42.

Ligatura alia ad emplastrum adhaesivum suffulciendum<sup>61)</sup>. E galero, qualem infantes gestare solent, componitur, et qui cervicem versus procedit deorsum, et quem partibus maxillaribus longis oportet esse instratum, quae et ita sint sectae, ut super labia et non sub mento figantur. In hoc galero adhibendo cuilibet genae ellychnium densum imponitur, super quod partes maxillares in extremitates acutas abeuntes ducuntur, in alia vulneris parte conjunguntur et ita anguli oris sibi assuuntur.

61) BÖTTCHER Libr. cit. p. 98.

## §. 43.

HENKELIUS pariter usus est galero simili<sup>62)</sup> in cuius partibus maxillaribus e regione labiorum duo tresve hamuli erant, filum firmum hamulo lateris alterius affixit, et transverse super futuram cruentam hamulo lateris alterius illud affigens regressus est et transit, usque dum filum cessaret; quo facto cohaerentiam labiorum magis suffulxit, asseverans, hoc modo ligandi prae omnibus aliis finem attingi, nec ipsum ejulatum infanti nocere.

## §. 44.

Apparatus VALENTINI<sup>63)</sup> et<sup>64)</sup>. Constat forcipibus duabus, quarum rami paralleli eriguntur, ut undique aequabiliter premant; duae hae forcipes ab utroque vulneris latere in latitudine digiti ab ejusdem margine labio applicantur, cui ope trochleae affi-

62) Libr. cit. p. 146.

63) Recherches critiques sur la Chirurgie moderne, 1772. Tab. I.

64) LE BLANC chirurgische Operationen, I. Bd. p. 461. Tab. IV. Fig. 9.

guntur; trochleae altera in extremitate for-  
cipis minoris inferiore duas hasce forcipes,  
inde et margines vulneris, quibus affixae sunt,  
circumacta contrahit. Ne nimis labra id  
ferramentum comprimat, ramis ejusdem pa-  
rum linamenti circumvolvit, aut spongiae  
marinae quidquam iisdem affigitur. Oportet  
autem, modice premere id ferramentum, ut  
labia, praecipue in casibus difficultioribus, de-  
bite et sufficienter adstringat: Labium vero  
ferramento prementi saepe cedit, tenuatum  
comprimendo, et sic instrumentum ab initio  
satis firmatum sese remittit, quo facto vulnus  
distenditur. Quodsi fissura Labii leporini ad  
nares usque protenditur, non tam alte, quam  
sufficit applicari potest instrumentum; porro  
casus obtinent, in quibus fissura est tanta, et  
facta incisione tam parum Labii supereft, ut  
instrumento applicando vix locus sufficiat.

## §. 45.

Liquet ex dictis, ligaturas omnes de-  
fectibus abundare, eas casibus quidem simplici-  
bus et exigui momenti sufficere posse, semper  
autem dubias esse; quare, licet a LOUISIO com-

mendatae, ab aliis chirurgis gallicis, CHOPART  
et DESAULT, reprobatae sunt.

METZGERUS<sup>65)</sup> curationem ad praecipa-  
ta Louisii instituit, sed frustrato successu. Su-  
tura cruenta raro male successit, et ibi, ubi  
eventus votis haud respondit, nec fasciae  
effectum praestitissent meliorem; Praeterea  
fasciarum plurimae hoc incommodum habent  
adjunctum, ut vulnus observari nequeat,  
quod tamen requiritur; in casibus difficiliori-  
bus, quibus multum substantiae defecerit,  
sutura cruenta plane necessaria est, et aegroto  
inquietudine agitato, emplastris adhaesivis et  
fasciis suffulcire potest: Veteres ii, qui futura  
cruenta utebantur, in quolibet Labio leporino  
emplastrum et fascias reunientes applicare soliti  
erant; verum GARENGEOT<sup>66)</sup> reperiit, hoc  
obesse, quare sententiam suam copiose de-  
monstravit; nec nisi noxium esse poterat, cum  
praeparatio emplastrorum adhaesivorum aequa  
ac fasciarum defectu laboraret.

65) *Adversaria medica, pars II.* 1778.

66) p. 24. T. 3.

Fascia Labio leporino accommodatissima depicta est in Chirurgia RICHTERI 67). Quatuor constat capitibus, quorum partes binae tribus filis, (prout ceterae res id requirunt, augendis,) conjunctae sunt, in formam crucis dispositis; quae cum totum vulnus non contegant, in conspectum venit indeles ejusdem. Duo capita hujus fasciae labiis applicanda emplastro adhaesivo vehementer adstringente linuntur, ut labia eo melius teneant adstricta, pars fasciae quae supereft, more solito applicatur. Quantumcunque haec fascia attulerit fructum, tamen RICHTERUS ipse reprehendit eam, quod occiput cingat et cubando retrorsum et caput circumagendo facile loco moveatur; quare et emplastrum adhaesivum adserit esse praferendum. Quodsi ita comparatum est, ut illud esse oportere monui §. 37. scilicet cum duo emplastra adhaesiva magna genis affigantur, quae in apicem modicum abeant antrorsum, et quantum dorsi transversi distantia complectitur, a vulnere desinant, ubi in extremitatibus eorum acutis

67) Th. I. Tab. I. Fig. 2.

duo aut tria fila fixa sint, quae mediante habent ita conjungantur, ut inter acus per meent: angusta super haec splenia dantur, ne fila partes nimis comprimant.

§. 47.

KÖHRINGII, *περιοδεύτου* medici, fascia ab OLLENROTHIO praedicatur<sup>68)</sup>. Cujus dum meminit HENKELIUS<sup>69)</sup>. Haec Ligatura accipitre constat linteo, cuiusmodi jam descripsi, in quovis latere parte maxillari in apicem desinente, instructa labia versus se inclinante, quorum utrique lateri lamella auri chalci tenuiter cusi adhaeret. Longitudo cuiusvis lamellae tres pollices adaequat, et unus pollex hujus longitudinis in quavis lamella in quovis galeri latere assutus est; in hoc loco pollicem tantummodo medium lata est. Hinc procedit antrorum in formam ovalem et in diametro latissimo sesqui pollicem continet. Antrorum definit in extremitatem, quadrantem pollicis latam, quae longitudinem qua-

68) ARNEMANN's Magazin für die Wundarzneywissenschaft, 1. Band, 3. St. p. 330.

69) Libr. cit. 152.

drante pollicis paulo minorem adaequat. Brevis haec extremitas duobus angulis obtusis antrorsum versus curvata, et duabus excisionibus in tres hamos formata est. Diameter ovalis, in latere, quo genis incubuerit, aliquantum convexus est, latus exterius concavum et margo superior inferiorque curvatus extrorsum. Omnis margo perforatus est, ut emplastro adhaesivo firmiter tum obduci, tum in accipitre figi possit.

§. 48.

Ad accipitrem in capite firmandum; emplastrum adhaesivum longum tres pollices latum toti capiti congruum super accipitrem a tergo antrorsum, adstringitur et super frontem duobus filis incisis in formam crucis applicatur, ex obliquo accipiter in quovis latere ligamine lato instruitur, et sub mento in formam habenae constringitur. Galero tali modo applicato, OLENROTHIUS vidit duos infantes a KOEHRINGIO felici successu curari, et ipse duos casus narrat, in quibus pariter eventu felici eo usus est; adserit praeterea, in Labio leporino duplici hanc ligaturam pariter cum fructu adhiberi, sicut et in fissura ossium palati.

Praeterea et hoc praefstat emolumentum, ut infantibus ejulatus non noceat ipsisque cibi liquidi et potus tutius praebeantur.

§. 49.

Ligatura alia ab agyrtta descripta et commendata est STUCKELEBERGERO Basellis 70). Haec machina lamellis chalybeis duabus constat parum convexis, pollicem unum tresque quadrantes ejusdem longitudine, tres quadrantes pollicis ad unum usque pollicem latitudine adaequans. In peripheria lamellae foramina sunt incusa, ut fasciae necessariae affuendo figi possint; margo peripheriae inferior lineae rectae ferme similis est, donec in extremitate posteriore desinat in orbem; margo superior extenditur retrorsum, ut in latere genarum superiori et posteriori firmius adhaereat.

Extremitate anteriori aequa praecisae cuiusvis lamellae, lamella alia recta nititur tres lineas alta, dein sub angulo recto rursus inflexa, tresque pariter lineas lata. Praedita est ea tribus nodis prominulis, quibus fila

70) Museum der Heilkunde. Von der Helveticischen Gesellschaft korrespondirender Aerzte und Wundärzte, 2ter Band 1794. p. 271. Tab. VI.

circumvolvuntur, per quorum spatia intermedia vulnus dum curatur observari licet. Utraque lamella retrorsum linteo dupliciter complicato, sese pollicem lato, cuius longitudinem ex ambitu capitis curandi dimetimur, conjunguntur, aut quod perinde est, in extremitatibus fasciarum harum duae lamellae chalybeae fixae sunt.

In concavitate lamellae chalybeae introrsum versus sitae taenia linteae in sex septemve stratis in splenium aggregatur, quod concavitatem explet. Id super peripheriam lamellae, sed non antrorsum, paulum prominet, et in ansae medio sub protuberantia occipitali sitae taenia alia eminet super glabellam usque, extremitati ejus anteriori duo hammi assuti sunt, ut taenia verticem transiens in neutrum latus declinet. Ad latus utrumque immediate post splenium taeniola fasciae retro ascendi in regione verticis fixa est. Alia ex eo loco in utroque latere ad conjunctionem ope nodi sub mento descendit, ne machina possit se elevare. Ut machina sursum firmetur circumvoluta, circa nodos plures meatus interseruntur sursum ad hanc fasciae retro ascendentis.

Haec ligatura digna videtur, cui applaudatur; partes vulneratae minus patiuntur, ut pote omni compressione liberatae; quodsi intumuerint sub filis, spatium eis sufficit, ut se se extendant, satis alte super eas tensis. Tu more magis accrescente, aut filis ab initio plus justo intensis, vel paululum solvi ea, aut fasciam incidendo aut ansam, relaxari licebit. Vero simile haud videtur assertum auctoris e momentis apud alias fascias allatis, quo semet ipsum vidisse adserit, hac fascia adhibita futuram cruentam plane superfluam esse.

§. 50.

Splenia parva a' quibusdam adhiberi solita, e linamento oblongo et taenia linea longa et arcta conficiuntur, quae a fine altero ad alterum gradatim complicantur et persuuntur, ab utroque latere acubus substerni solent; quod noxiun est, **BELLIO** et **RICHTERO** demonstratibus; nam acus tolluntur in altum, irritant pre- muntque vulnus et facile decidunt.

§. 51.

Gradati panni seu glomi e linteolis dupli- citer stratis comparantur, vario modo fasciis

substernuntur, etiam prope emplastrum adhaesivum applicantur, ad fila ejusdem paulum elevanda, ne vulnus premant. Linteolum insuper simplex et arctum adhibetur, quod acubus subponitur, in parte superiore vertitur, et super easdem demittitur, hoc acus prope vulnus contegit, impeditque, quo minus fordes agglutinentur, quae acubus dein extrahendis nec obstent. Quare non caret emolumento.

## §. 52.

Spongia marina satis nota vario modo adhibetur, quam etiam in supellectile VALENTINI adhiberi, modo dixi; applicatur insuper in fissura ossis palati aut maxillae, dum infantes deglutire non possunt.

Palatum artificiosum ex ea componitur, cum spongia in formam requisitam, magnitudinem et crassitatem adigitur, et sicca fissurae immittitur, ad latus ejusdem inferius ori insitum corii frustulum figendum, ne humores nimii ab ea resorbeantur, quibus infans frui possit; saepe vero fissura osse palati ita constituta est, ut spongia nullo modo in ea possit

figi.



figi. In fissura maxillae simili modo applicatur, sicut e sequenti capitulo §. 13. illucebit.

### §. 53.

**Obturatur palati.** Cum praeter Ladium leporinum palatum fissum reperitur, pauca addam de methodo illud curandi, quare hoc capite quaedam instrumenta allegabo, quibus molestia palati fissi saepe paulum imminuta est; vel obturator palati e spongia conficitur sicut in §. praecedente notavi, aut laminas ex auro aut argento conficiimus, quae cavitati palati apte congruant, his frustulum spongia affigitur, quod sic, cum fissuram palati accurate occludat, humoribus intumescendo extenditur, et sic laminam metallicam satis firmiter adstrinxit. HEISTERUS 7<sup>1</sup>) aliquot ejusmodi laminas metallicas depingi curavit, ubi in figura quinta canalis perforatus, cui spongia affigenda est; idem videre licet 7<sup>2</sup>) et 7<sup>3</sup>). Obturator

7<sup>1</sup>) Libr. cit. Tab. XV. Fig. 4. 5.

7<sup>2</sup>) PERRET p. 104. Fig. 52.

7<sup>3</sup>) GARENGEOT T. I.

palati antiquissimus descriptus est in PARAEO 74). Postea FABRIC. HILDANUS palatum artificiale descripsit 75). Quandoque fissura ita est constituta, ut spongia in ea figi nequeat, ubi quidem inserviunt laminae metallicae tenues, ferro vi sua recellente instructae, quo partibus affinibus affigantur. Cujus constitutio cum imperfecta sit, nulla effectum speratum fortita est.

74) Opp. p. 651.

75) Opp. Cent. II. p. 101.

## CURATIONE LABII LEPORINI.

## §. I.

Fissuram in labio, infantibus congenitam, quandoque, rarius quidem, a vulnera, aut ulcere natam, Labium leporinum, (Lachilos, Bec de liévre) dicimus. Prima species primae formationis defectus, quia infantibus connascitur; unde et saepius in monstribus reperitur <sup>76</sup>). Monstrum duplex ibi depingitur, quorum quodvis Labio leporino affectum est; similia in SÖMERRINGIO <sup>77</sup>).

Margo Labii leporini a labio sano non differt; ruber et epidermide obductus, sanus et mollis est; species secunda marginibus impuris, duris et callosis conjuncta est. Labium

## D 2

<sup>76</sup>) TULPI Observationes medicae. Amstelodami 1652. Libr. III. Cap. XXXVIII.

<sup>77</sup>) Abbildungen und Beschreibungen einiger Misgebürten, 1791. Tab. VII.

leporinum in labio superiore ut plurimum obser-vatur, et METZGERO in adversariis medicis affirmante, plerumque ad latus sinistrum; in labio inferiore varie occurunt. Saepe duae fissurae in uno labio extant, ubi fissurae directionibus variare possunt, quod in labio dupli-ci notabo. Non raro praeter Labium lepori-num et fissura in maxilla osseque palati reperi-tur, quandoque et ipsum velum palati fissum est ita, ut oris et nasi cava-tas unam con-sti-tuant cavitatem; in maxillis quandoque nodi adsunt; per fissuram prominens in adultis inter-dum dens eandem ingreditur.

## §. 2.

Liquet ex supra dictis, quot molestiae e Labio leporino prodire possint; infantibus obstat, quo minus fugant, nec quidquam liquidi degluti-ant, ubi nimirum palatum fissum fuerit, quia per nares respicitur. Ubi adole-verit aetas, vocum pronuntiationem reddit minus intelligibilem, saliva ex ore effluit, cibi non nisi difficulter mandi possunt, quia ex ore cadunt, dens denudatus antrorum flectitur, aut cariosus redditur; denique deformitatem

magnam efficit, atque unicum fere auxilium  
praestolatur curatio, quae manu fit.

§. 3.

Methodus ad curationem praeparatoria.

- 1) Attendendum est, ut is, qui curatur,  
praeter Labium leporinum sanus sit, si-  
minus, ut convalescat, curandum.
- 2) Perutile erit aliquot ante curationem  
diebus emplastrum adhaesivum adponi,  
ut infantes, ligaturis necessariis, incom-  
modis utique, adsuescant aut adulti habi-  
tum sibi acquirant loquendi, et mandu-  
candi, ne etiam labia dein motu nimio  
irritent, aut tendant.
- 3) Aetatis habenda est ratio, chirurgus ut  
plurimum cogitur a parentibus ad cura-  
tionem annis adhuc teneris peragendam,  
et experientiae quorundam evincunt, in-  
fantes trium, quatuor, aut sex, septemve  
mensium felici successu sanatos esse.  
HOMBURGIUS historiam morbi refert, qua  
infans quatuordecim dierum satis felici  
eventu curatus est; aliis e contrario cu-

ratio in aetate tenella non tam prospere successit; quare curationem experientia suadente aetate nimis tenella fieri dissuadent. Quodsi vero infantes annos modo plures excesserint, curationem aversantur, et multis difficultatibus tum ea implicatur; quare nec approbandum videatur consilium GARENGEOTII ET GUILLEMEOUI, infantes ante quartum vel quintum annum hoc modo curandos esse.

- 4) Expedit, vigiliis eum, qui curari debet, diutius exercere, ut peracta curatione diu dormire possit.

#### §. 4.

##### Prognosis.

- 1) Quo melior est ejus valetudo, qui curari debet, quo quietior est, ac quo minor fissura, eo faciliore negotio curatio absolvi poterit, et successum felicem habebit adjunctum.
- 2) Difficilius autem in casu opposito, et defectu substantiae multo obtinente.

- 3) Difficillimum curatu labium leporinum  
duplex evadere potest.
- 4) Omnis sanatio saepe plane contingere  
nequit; casus enim extitere, quibus fis-  
sura adeo in immensum excreverat, at-  
que pauxillum, quod labii supereffet, du-  
rum erat et non aptum, tam firmiter gin-  
givae concretum, tamque deforme, ut  
spes nulla affulgeret fore, ut in unum  
coire possit.
- 5) Curatio praecipitare hominem potest,  
pluribus exemplis docentibus. HENKE-  
LIO, BELLIO et METZGERO aliisque casus  
ejusmodi haud prosperi occurserunt,  
praesertim multi casus innotuere, qui-  
bus agyrtae operationem perfecerant. Eo-  
rum aliquem magni momenti LOUIS 78)  
allegat, quo infans aliquot ab operatione  
horis haemorrhagia periit.

#### §. 5.

In Operatione ipsa tres praecipue indicationes  
sunt attendendae.

Indicat. prima. Margines labiorum  
aequabiliter absindendi sunt, ac in superficies

78) Memoires de l'Academ. de Paris, Tom. IV.  
p. 427.

cruentas mutandi: quod fit, dum aegrum pleno die lucem versus ponimus, infantes in gremio sedentes tenentur, nam cubantibus illis sanguis in os fluenis, tuffim et suffocandi periculum proferret; adultos sellae insidere permittitur. Adjutor agroto stat a tergo, et pectore suo impedit, quo minus aeger caput retrahere possit; manum utramque maxillis ejus imponit, et chirurgo margines Labii leporini conjungente eas paulisper premit antrorum, ad hanc functionem allevandam. In infantibus dum curat medicus, manus genis firmiter imprimit, unde impediuntur, quo minus fissuram ejulando diffundant, operationem aggravent et turbent.

#### §. 6.

Quo factō excoriatio ipsa labii perficitur,  
quod ope forficis aut incisorii fieri potest.

a) Ope forficis. Labium excoriandum vel pollice et indice manus alterius apprehendatur et incisio manu fiat altera, aut, quod melius, labio sustentando instrumenta adhibeantur nota, et sic una incisione excoriatio praecipue forfice RICHTERI absolvitur.

b) Ope scalPELLi. In hujus usū pariter quae-dam forcipum notarum labio sustentando adhibeatur, aut fiat substratum, quale in describendo incisorio §. 13. capitilis praecedētis assignatum est, in quo labium extendatur, tum incisorio acutissimo in-cisionibus tam paucis, quam fieri potest, excoriatio absolvatur; una incisione raro perfici potest.

### §. 7.

Ubi vero forfex aut scalpellum sit praferendum, in horum instrumentorum descrip-tione ostensum est. Instrumentorum horum alio tantum labii abscinditur, quantum habita ratione rerum aliarum opus fuerit; semper tam parum, quam fieri potuerit, abscindendū, ad defectum multae substantiae evitan-dum, praecipue si fissura modo lata nimis fuerit, quod reunionem redderet difficiliorem. Verum saepe, margine iniquo et angulo-so multum resecari, necessitas exigit. Deinde incisio fiat ita, ut triangulum aequilaterum pro-deat, nisi exceptio a regula obtinuerit in casu, quo substantiae nimium modo defecerit: Tri-angulum hujuscemodi necessarium est, alias

enim inaequalitas in labiis conjungendis; margine alio p<sup>r</sup>ae alio prominente, et sic deformitas incommoditasque orientur. Facta excoriatione aliquantum sanguinis e vulnere emitti permittendum, et orae undique ope spongiae mollis et aquae calidae a sanguine liberandae sunt. Alii hanc curationis partem fugiunt, quae nimirum dolores excitet; caustica sive emplastrum vesicatorium ad labia exulceranda adhibuerunt; verum his remediis adhibitis tam commode, quam incisione scopus numquam attingetur, denum caustica fieri possunt nocifera ut modo §. 17. notatum.

### §. 8.

Indicat secunda. Vulneribus arctissime et aequabiliter reuniendis omnis opera impendatur: quod futura vel sicca vel cruenta efficitur; prior solo emplastro adhaesivo et quadam fasciarum reunientium perficitur. Hanc methodum non a solis chirurgis recentioribus, sed ab antiquioribus modo commendatum esse, jam dixi <sup>79)</sup> et <sup>80)</sup>. Notavi in-

<sup>79)</sup> G. W. WEDELI de morbis infantum. 1717.

Cap. IV. p. 12.

<sup>80)</sup> AMMANN in Paraenesi, p. 364.

super, eam raro sufficere, sed methodum alteram, futuram scilicet cruentam adhibendam esse, qua antiquissimi modo usi sunt medici <sup>81)</sup>). Quae et successum speratum raro frustratur. In futura cruenta aliis circumvoluta, aliis nodosa praefuerit.

§. 9.

Sutura circumvoluta (involuta, future entortillée) perficitur, duas aut tres acuum notarum per labia modo sequendi trajiciendo; in spatio tres quatuorve lineas lato a margine vulneris acus trajiciantur, et in eadem distan-  
tia rursus extrahantur. In spatio hoc deter-  
minando ratio habeatur defectus substantias  
minoris aut pluris, in easu posteriore quatuor  
lineas latum esse oportet. Alii acum superio-  
rem primo trajici suadent, quod commodius  
esset, verum hoc labiis oblique uniendis occa-  
sionem praebere potest; quare preferenda  
methodus, qua inferior primo immittitur,  
quae in margine labii inferiore trajicitur et si-  
fieri potest, in parte rubra, secunda in medio  
et tertia sub angulo fissurae superiore; in in-

81) CELSUS de Medicina, Libr. VII, Cap. IX.

fantibus duae, in adultis tres sunt necessariae.  
Acubus capite destitutis ad eas commode traji-  
ciendas sustentaculo acus opus est.

Acui primae trajectae filum sericum aut  
linteum cera obductum circumponatur, cuius  
extremitates ab adjutore teneantur ad impe-  
diendum, quo minus diffendatur vulnus, et  
acus prima excidat, dum secunda immittitur.  
Acubus omnibus immisis filum in forma tali  
circumvolvatur, quod ope picturae sensibus  
clarius exhibetur <sup>82)</sup> et <sup>83)</sup>). Sufficit, filum se-  
mel ascendere, et semel descendere, pluries  
enim circumvolvatum mole sua vulnus preme-  
ret; nec nimis laxe, nec firmiter nimis appo-  
nat, in casu priori enim labia vulnerata non  
debite fese tangerent et sanguinis emissio in  
magnum aegri damnum perseveraret; in casu  
secundo, vulnus dolores parit vehementiores,  
et inflammatur, quare filum in forma habenae  
constringi consultius est, ut necessitate exigente  
paululum remitti possit vel adstringi.

82) BELL Libr. cit. Tab. XI. Fig. 138.

83) HEISTER Libr. cit. Tab. XI. Fig. 12. f. f.

## §. IO.

Filis circumvolutis aliqui apices acuum  
avellunt, cuius operis damnum demonstratum  
est; alii globos cereos apicibus affigunt, quod  
nec utile est. Meliores sunt acus, quarum api-  
ces retorqueri aut extrahi potuerint.

## §. II.

Sutura nodosa (Sutura interscissa, la  
future entrecoupée) a CHOPARTIO ET DESAUL-  
TIO commendata, qua et usus est KOEHRIN-  
GIUS, quamque OLLENROTHIUS cum viris pre-  
dictis suturae circumvolutae praefert. Experi-  
menta singularia, quae egregium sucessum  
ejusdem probant, huic suturae forsan suffragium  
ferunt, verum experimenta plurima circum-  
volutam approbant, et verosimile haud videtur,  
vulnus magis acubus quam filis irritari. Sutura  
dicta secundum methodum BELLII aptissime  
perficitur <sup>84)</sup>). Dum fili ultraque extremitas  
acu instruitur, quaevis acus ab interiore par-  
te extrorsum in distantia debita trajicitur, et  
ita in margine labii nodo simplici, et habena

84) BELL Lehrbegriff der Wundarzneykunst,  
I. Th. p. 13.

conjungitur, ut necessitate urgente paulum remitti aut firmius necti possit, nodo chirurgico, prasertim filo cera obducto, id fieri non potest. Ceteroquin duo aut tria fila immitta, prout infans aut adultus fuerit.

§. 12.

**I**ndicatio tertia. Haec ad differentias accidentales refertur, quae ante operationem adfuerint vel defuerint; hic mihi de prioribus agendum, quae saepius adsunt et reunioni perfectae obstant, quare ante eam e medio tollendae sunt, quarum ex parte modo memini. Quodsi forsan dens prominens obftiterit, instrumento apto tollatur, aut si assula ossea obftaculo fuerit, forcipe Cheseldanio aut instrumento acuto et apto alio auferatur, aut etiam tumore in gingiva obftante, rite semoveatur. Saepe fissura nasum versus alte ascendit, aut fissura in angulo superiore cum frenulo, aut labium superius cum gingiva concreta sunt, in his casibus separatio incisorio fiat, quia alias nec excoriatio, nec reunio rite perfici posset<sup>85)</sup> et<sup>86)</sup>.

85) GARENGET p. 8. T. 3.

86) LE DRAN p. 289.

**Labium leporinum duplex.** Fissurae hic directione variant, cujus exemplum HENKELIUS adfert casum<sup>87)</sup>, quo ad latus utrumque septi narium fissura palatum simul penetrans adfuit. SANDIFORTIUS<sup>88)</sup> casum illustravit secundo cadavere, quo fissura alia a dextero oris angulo usque in narem dexteram, alia ab angulo oris sinistro usque in narem sinistram se extendit, praeterea palatum et uvula simul fissa erant. **Labium leporinum duplex** modo dupli curatur, habita ratione quantitatis frusti intermedii, quod si non valde parvum fuerit, prius alterum curatur, quo sanato ad alterum curandum proceditur. Numquam licet utrumque simul curationi subjiceretur, alias enim frustum intermedium multitudine acuum nimis pateretur, extenderetur et inflammaretur. Fissura prima per suturam cruentam omnino curanda est, quia fascia firmiter figi non potest.

87) D. S. SCHARSCHMIDT medizinische und chirurgische wöchentliche Nachrichten, 3ter Jahrgang 1741. p. 327.

88) Observationes anatomico pathologicae 1781.

LOUISIUS frustulum carnis minutum conservare studuit; primo alteram curavit, elapsis quatuordecim diebus alteram; frequen-tissime autem frustum intermedium nimis par-vum est, et tum expedit illud simul resecari. Defectus substantiae non nimius est, et labia extendi possunt, donec reunioni efficiendae sufficerint. Casum ejusmodi, quo frustum intermedium resecabatur, refert A C R E L I U S. Fissura alia in dexteram, alia in sinistram abiit narem, frustum carnis durum et ineptum quatuor lineas latum in medio repertum ex-scidit, utrumque Labium leporinum in vulnus commutavit unum, nixus eo, quod orae satis extendi possint; aeger bene curatus fuit, facul-tatem etiam loquendi, qua caruit antea recu-peravit, cicatrice non valde informi tantum re-manente.

§. 14.

Reunione tam in Labio leporino simplici quam duplice, acubus facta emplastr. adhaesi-vum vulneri vulgo superimponitur ad aerem arcendum, ac ne aeger vulnus illidat; expedit faepe, aegro inquieto fasciam reunientem ad

futuram suffulciendam applicari; porro vulnus in primis diebus antiphlogistice tractatur, cui fini aqua vegeto-mineralis GOULARDI et solutio aluminis crudi inserviunt. Quidam infantum labia melle rosarum aut Syr. Violar. aepe liniunt, deinde Balsam. Indicum nigr. aut Bals. de Mecca seu Gileadensis commendatur, quo vulnus liniendum; alii etiam panniculos humectant, quos labiis et gingivae interferunt. Posterius fructu caret, quare et ab ACRELIO, RICHTERO aliisque reprobatur; si sola fascia reuniens, aut haec et futura nodosa ad unionem fuerit exhibita, necesse est, ut ibi, ubi os maxillae et palatum fuerit fissum, haec fissura expleatur spongia, cuius superficies anterior corio obdueta sit, aut lamina plumbi labio supponenda, ut labium fulero nitatur, ac ne jabet introsum. Acubus vero applicatis extremitates earum margini fissurae firmiter initantur, ut labium suffulciant, nec expleri futuram necesse est.

§. 15.

In decursu curationis vulnus quotidie observandum est, nam in infantibus Aphthae

E



saepe reperiuntur. J. D. HOMBURG<sup>89)</sup> refert casum, quo statim post operationem Aphthae adfuerunt, et quidem in labio superiore, et marginibus vulneris. Vulneri decoctum chinate frequenter fuit impositum eoque humectatum, et elapsis quinque diebus, cum ligatura femoveretur, plane sanatum fuit repertrum. Usum decocti corticis peruviani plures confirmant; porro circumvolutione filorum nimis firmiter inhaerente praecipue duo loca carne a rotunda a compressione fili vehementiore patiuntur, intumescunt more collum fese elevantia, quam formam facta curatione diu saepe retinent, quandoque autem loca inflammati in gangraenam abeunt; quare filum saepe remittendum est.

ROONHUYSENUS et PALFYNIUS suadent, tertio aut quarto post reunionem die paululum relaxari, quod noxiū erit, nisi causae urgentes id requisiverint; distensioni labiorum novae facile occasionem praebuerit, praeterea fila fese conglutinantia sine dolore solvi ne-

89) Krankheitsgeschichte, welche die vorzügliche Heilkraft der äußerlich gebrauchten Peruvianischen Rinde in allerhand Schäden bestätigen, 1773.

queunt; unde omnia in statu quieto relinquaenda, donec acus ipsas extrahi licuerit.

§. 16.

Tempus extrahendi acus quidam tertium aut quartum diem determinant, verum tutius differri potest in quintum aut sextum diem. Circa hoc tempus sese solvunt, non autem diutius inhaerere permittuntur, quia alias vulnus cicatrices relinquunt non evanescentes, quare extremitates acuum a foribus duris adhaerentibus purgantur, pollice et indice manus sinistrae vulnus molliter comprimentibus. Eo impeditur, quo minus labia vulneris imperfecte reunita divellantur, acus invertendo et extrahendo; filum inhaerescens relinquitur et successive id emollire et separare connamur, deinde emplastrum et fasciae tam diu relinquuntur imposita, donec metuere non licuerit, rursus dissipari. Ubi tres acus adfuerint, primo mediam, tum superiorem, et denique inferiorem in duorum dierum spatio extrahi, suadetur; pari modo fila exsecantur futura nodosa adhibita, loca parum suppurantia acuum aut filorum brevi sese occludunt, ne

E 2



cicatricem relinquant, continuato usu aquae vegeto. Quandoque in angulo fissurae superiori foramen parvum remanet, per quod saliva effluit; apertura acu candente tangenda aut parum vesicatorii immittendum, quo facto brevi constringitur.

## §. 17.

## Diaeta curati.

Dum curatur cibos non nisi liquidos forbere licet, in quibus eligendis ratio rerum habenda, e. g. juscula, gelatinas, ova moliter cocta etc. ordinamus, quae ab aegro mandi opus non est. Porro ejulatus, risus, loquela, tussis, et sternutatio praecavenda sunt, quia labiis distendendis facile praebuerint occasionem; quare aegrum e societate removeri, et in atmosphaeram sibi innoxiam transferri oportet. Denique infantes fugendo haemorrhagiam continuant, quod noxium evadere potest; inde cochleare, quo ad theae infusum bibendum utimur, alimenta liquida necessaria eis administranda.

## §. 18.

## Palatum fissum.

Palatum fissum; quod Labium leporinum, ut saepe dixi, simul comitatur. Maxilla superior interdum latior, interdum latitudine naturali; quare in casu primo solam ossum disjunctionem, in secundo vero ossum defectum adesse, appetat.

HENKELIO Casus occurrit, quo duae fissurae in palato fuere.

Palatum carneum quandoque simul fissum reperitur, ubi defectus harum partium major fuerit.

Rictum lupinum dicimus, cuiusmodi exemplaria praeclara quaedam in Museo WALTERI Berolini vidi, praeterea descriptiones extant<sup>90)</sup>, <sup>91)</sup> et <sup>92)</sup>). Infantes alii palatum fissum habentes deglutire non possunt, omnia

<sup>90)</sup> Memoires de l' Academie Royal. de Chirurgie à Paris, T. I. p. 605. 617.

<sup>91)</sup> DIONIS p. 602. a.

<sup>92)</sup> HENKEL's medizinische und chirurgische Anmerk. p. 77.

per nares respidunt; alii parum vorare possunt,  
si decumbentibus immissum fuerit.

Plures excogitati sunt apparatus, ad hoc  
malum tum allevandum, tum sanandum; pri-  
mum efficere conati sunt, ope obturatorum  
palati vide §. 53. Posterius curato Labio le-  
porino obtainere studuerunt.

Sunt, qui notasse velint, conjunctionem  
palati numquam fieri, nisi curatione antea  
perfecta, LEVRETIUS 93) et LA FAYE 94).

Alii 95) filum per os trahi suadent, et  
utramque extremitatem ejusdem denti maxil-  
lari affigi, quod infantibus, dentibus institu-  
tis, haud applicandum, et adultis nimis in-  
commodum et fructu caret, imo nocet, cum  
dentes oblique trahere possit. Quid quod fis-  
sura ossea per hoc se conjungere possit.

93) l'Art des Accouchemens §. 1321.

94) Memoires de l' Academie de Chirurgie de  
Paris, Tom. III. Edit. 8. p. 201.

95) JOURDAIN, Journal de Medicine, Tom. 39.

Alii fructum sperant e fascia reuniente 96).

RICHTERUS expedire censet, margines fissurae osseae saepe scarificari, et balsamicis humectari; verum fissurae occlusio ad opera naturae ut plurimum referenda.

96) LEVRET, Journal de Medicine, Tom. 37.

## T H E S S.

1. Studium botanicum medico et utile et jucundum.
  2. Imaginationem matris non posse in foetum agere credo.
  3. Placenta foetus pulmonum vicibus fungi videtur.
  4. Peritonitis puerperarum plerumque characterem Typhi habet, ideoque raro venae-sectio indicata est.
  5. Dentitio non morbus, sed causa morbi.
  6. Opiniones Wichmanni de dentitione infantum confusae esse videntur.
  7. Nulla habemus vermium signa pathognomonica.
  8. Vermes non morbus, sed causa remota morbi esse videntur.
  9. Et galvanismus, et putredo, signa sunt mortis incerta.
  - 10) Incisio parva abscessus opportuna, magna damnoſa.
-

1678

PICA



(16)

DE  
MODIS VARIIS,  
QUIBUS  
LABIUM LEPORINUM  
CURATUR,

CO

J C

PRO  
CLI  
S

GF

DA

